

**Dissertatio medica, inauguralis, de dysenteria ... / eruditorum examini
subjicit Philippus Fletcher.**

Contributors

Fletcher, Philip.
Lister, Dr
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dhdmmsg9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

THE UNIVERSITY OF MEDICINE
AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

IN THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

OF THE CITY OF NEW YORK

OF THE DEPARTMENT OF MEDICINE

AND SURGERY

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

12

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PHILIPPUS FLETCHER,
HIBERNUS,

Soc. Phys. Edin. Sod. Hon.

——— then wasteful forth
Walks the dire Power of pestilent disease.
A thousand hideous fiends her course attend,
Sick Nature blasting, and to heartless woe
And feeble desolation casting down
The tow'ring hopes and all the pride of man.

THOMSON'S SEASONS.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXI.

Viro illustri

ALEXANDRO HENRICO HALIDAY, M. D.

Artem Hippocraticam

Apud Belfast,

Summa cum laude sua, et commissorum sibi aegro-

tantium commodo, exercenti,

S. P. D.

PHILIPPUS FLETCHER.

Mihimet etiam ipsi, vir praestantissime, non parum ingratus viderer, si occasionem, quae se nunc offert, grates publice tibi persolvendi praetermitterem, qui me, morbo gravissimo colluctantem, artis propriae notitia et attentione indefessa servasti, et ab illo tempore benevolentia et humanitate hucusque constanter prosecutus es. Ob plurima, quae et medicus et privatus fecisti, optima te summis et meritis laudibus possem ornare; hoc vero abstinere melius duco, ne, quae mihi placeant, tibi displiceant. Vale.

Dabam Edinburgi, octavo }
calendas Julii 1781. }

Mr Lister
from his friend
&
fellow Candidate -

B. Fletcher

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DYSENTERIA, cum stragem apud milites adeo horrendam edere soleat, et igitur reipublicae ante plerosque alios morbos funesta et exitiosa sit, attentionem omnium medicorum haud dubie jure sibi vindicat. Hoc adductus, me operae pretium facturum credidi, si dissertationem inauguralem in vulgus edere, hujus Academiae illustrissimae legibus coactus, hunc morbum exequendum susceperem. Antequam vero ad signa morbi recensenda ve-

A

nietur,

nietur, non alienum videbitur notare, morbum ab auctoribus in dysenteriam *sporadicam* et *epidemicam*, in *rubram* et *albam*, in *mitem* et *malignam*, esse divisum. De prima harum distinctionum, quamvis auctoritate Pringelii ipsius, medici in primis celebris, nititur, non parum ambigo; hic morbus enim a frigore solo nunquam proficisci videtur. Dysenteriam, a medico modo posito depictam, quae tot milites post praelium Dettingense invasit, a contagione militum corporibus die nimis calefactis admota, per frigus et humorem quam maxime maligna reddita, excitatam esse, satis perspicuum et manifestum. Nec frigus unquam aliud praestare videtur, quam morbum excitare. Hoc vero, et similia, cum ad causas dysenteriae generales fuerit ventum, fusius dicentur. Distinctiones reliquas fundamento stabili inniti signa mox enumeranda monstrabunt.

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Accedente dysenteria, aegro plerumque leviter dolet abdomen, et dolor *borborygmis* stipatur; alvo interea astricta. Paucis quidem in exemplis diarrhoea invadit; hoc vero, Culleno illustrissimo iudice, rarissime evenit. Æger, ut in aliis morbis febrilibus incipientibus, modo languorem, modo lassitudinem, queritur; modo frigescit, modo calefcit, fiti insigni vexatus. Febris signa ab initio usque se saepe ostendunt. Pulsus arteriarum plerumque duri et parvuli sunt; morbo vero provectiore, debiles et frequentiores evadunt, et febris typhi formam induit. Abdominis dolores evadunt gravissimi. *Tenesmus*, sive frequens alvum evacuandi desiderium, aegrotum miserandum exercet. Quod interim dejicitur, id perexiguum, dolores vix levat, vel, si aliqua

aliqua ex parte levat, intra spatium breve violentia majore redeunt. Omnia haec signa augentur, appetitus prostermitur, vires deficiunt. Ventriculus male se habet, et accedunt cardialgia, nausea, et forsitan vomitio. Dejectiones alvinae colore inter sese multum differunt. Nomen *dysenteria rubra*, ob sanguinem purum, qui nonnunquam descendit, morbo fuit inditum. Hoc vero infantibus praecipue, sicut memoriae prodit Zimmermannus celeberrimus, et semper primis morbi diebus, incidere consuevit. Sibi persuasum, contra, habet Cullenus sagacissimus, dejectiones sanguinolentas, quam multi sunt opinati, esse rariores. Cum viri autem tanti re in medica nominis et claritudinis in sententias adeo diversas concefferint, dysenteriam in *rubram* et *albam* dividere non alienum esse existimo. Dejectiones ex toto mucosae *dysenteriam albam* constituunt, quae minus periculi, quam cum coloratis stipatur, videtur habere; excretionem enim albae minus putredinis adesse significant. In omnibus ta-

men

men morbi speciebus, color materiae descendens solet variare, et quod dejicitur, id plus minusve, quo magis minusve ad putredinem morbus proclivis, foetoris emit- tit. Quinetiam membranae tenues, eas, quas vermibus intestinorum laborantes ex- cernunt, referentes, in faecibus possunt no- tari, quae diligenter examinatae, tunicae ca- nalis alimentarii villosae abrafae portiuncu- lae esse reperiuntur. Hae autem mem- branae pro tunicae intestinorum villosae portionibus haudquaquam semper haben- dae; nonnunquam enim ex toto mucosae, viscidae, et tales sunt, quales Zimmerman- nus ab ano aegrotantis descendere plane manifesteque vidit. Insuper sebi, vel ma- teriae sebaceae, molecule, et, in specie morbi mitissima, faeces colorem fere natu- ralem habentes, excernuntur. Faeces for- ma stercoreis ovini, quod *scybala* appellatur, cellulae coli impertiri saepe notantur. Cum morbus admodum gravis est, oriuntur non- nunquam gangraenae notae. Si hoc incidit, aeger, qui ante doloribus acutissimis fuit vexatus,

vexatus, breve per spatium quiete fallace fruitur. Deinde extrema corporis frigescent, sudores frigidi singulas in partes diffunduntur; pulsus arteriarum concidunt, intermittunt, morsque tandem aegrotantem numerosissimis, quibus laborat, malis eripit.

Spatium incertum morbus habet. Interdum quatuor vel quinque dies, interdum totidem menses solet manere. Cum tantam in longitudinem exporrigitur, *dysenteria chronica* appellatur. Excretionum numerus singulis diebus non parum differt. Se a viginti ad centum viginti et plures usque vidisse refert Zimmermannus. Harum autem frequentia, quanta morbi sit gravitas, evidentissime indicat. *Aphthae* interdum canalem alimentarium, et fauces etiam, obsident. Exemplis in multis sapor oris amarus et excretiones biliosae semet ostendunt. Haec Zimmermannus et alii bilis ad putredinem proclivitati tribuerunt, et igitur pro signis minime bonis habuerunt. Cum vero experimenta medici in primis ingeniosi M'Lurg bilem magis forsitan, quam

quam quemlibet alium corporis humani humorem, a putredine abhorrere plane demonstrent; cumque Cullenus ipse choleram ortam ad dysenteriam depellendam magno-pere conferre tradat; haec signa, me iudice, non bili putrescenti, sed alii causae adhuc ignotae, debent referri. Cum dysenteria autem eodem anni tempore (autumno scilicet) quo cholera soleat grassari, haec signa causis iisdem, quae choleram movent, forsitan excitantur.

Hae sunt morbi notae praecipuae, quas ex auctoribus diversis, qui dysenteriam executi sunt, excerpendas curavi. Hae rite consideratae, quam iusta et vera sit definitio sequens Culleniana, evidenter ostendent:

“ Pyrexia contagiosa, dejectiones frequen-
 “ tes, mucofae vel sanguinolentae, retentis
 “ plerumque faecibus alvinis, tormina, te-
 “ nesmus.”

Haec definitio excellentissima, cum nullius explicationis indigeat, proximum est ut dysenteriam a morbis sui similibus discernam.

DIAG-

D I A G N O S I S.

Pauci tantum morbi sunt, qui pro dysenteria periclitantur haberi, et, quantum ad hos attinet, si signa eorum diversa memoria teneamus, vix decipi possumus. Diarrhoea dysenteriam non parum refert. Multa tamen non defunt, quae illam ab hac clare secernunt. Nullam pyrexiam primariam habet, licet nonnulli hoc negent; a contagione non proficiscitur; torminibus minus violentis, et excretionibus alvinis minus frequentibus, et sanguini non admixtis, stipatur.

Aliquid similitudinis inter choleram et dysenteriam intercedit. Quamvis signorum gravitate causarumque notitia, illa enim in cholera graviora, hae notiores, non obscure possunt dignosci; certissime tamen spatio diverso utriusque morbi proprio a se invicem distinguuntur. Insuper, magna bilis

lis quantitas, quae in cholera et rejicitur et dejicitur, hunc morbum a dysenteria satis manifeste fecernit. Dejectiones biliosas in dysenteria quoque incidere, haudquaquam diffiteor; in cholera vero multo copiosiores esse, contendo.

Haemorrhoides internas a dysenteria frequentia facile distinguunt. In illis, dolor rectum extremum potissimum occupat, pyrexia raro subest, et sanguis excretiones alvinas subsequitur, stercorei non admixtus; hic in dysenteria, contra, muco admixtus plerumque descendit. Non opus esse videtur, ut colicam et dysenteriam a se invicem fecernam; nemo enim, qui medicinam primoribus labris tantum gustavit, ullum in errorem super discrimine horum morborum potest incidere.

Causae hujus morbi proxime sunt dicendae.

B

CAUSÆ

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Sive frigore, sive contagione, vel utrifque dyfenteriam moveri credas, et illud et hanc in corpus, quibuscumque causis debilitatum, potentissime agere, neminem latet. Debilitas igitur mortales hunc ad morbum admodum proclives reddit, et omnia idem praestant, quae debilitatem faciunt vel augent. Insuper, si naturam signorum dyfenteriae attentus consideraveris, corpora hoc morbo conflictantium ad putredinem prona esse reperies. Idcirco omnia putredinem gignere valentia causis praedisponentibus quoque annumeranda. His inducti, debilitatem et proclivitatem ad putredinem pro praecipuis causarum praedisponentium habemus. Proximum est ut ea, quae homines hisce causis objiciant, consideremus. *Calor* primum dicetur. Hic, humores rarefaciendo et expandendo, vasa ita distendit,

dit, ut atonia insignis, et igitur debilitas, oriatur. Si mador huic adjungitur, ad mortales dysenteriae opportunos reddendos plus etiamnum confert; ille enim et viribus caloris debilitatem prognerantibus favet, et, si frigus sibi adjunctum habeat, spiracula cutis occludit. Exempli hujus innumera ab auctoribus, qui dysenteriam depinxerunt, memoriae sunt prodita. Quinetiam experientia quotidiana idem magis magisque firmat.

Vita Sedentaria et Defatigatio, ut omnes norunt, debilitatem haud dubie faciunt. Idem praestant omnes affectus qui animum contristant, ut timor, dolor, &c. Hujus exempla multa in monumentis medicinae reperiunda. Dysenteria enim epidemice grassante, meticulosi et moesti primi, aut in primis, corripuntur. Causis hujusmodi accensendae sunt *ebrietas Venusque immodica*, quae in genus nervosum in morem *sedantium* agunt, et debilitatem progignunt. Praeterea, morbi antecedentes, potissimum longi, vires corpori convellunt, et homines

ad

ad dyfenteriam proclives efficiunt. Hoc vero adeo manifestum est, ut amplius super eo addere supervacaneum foret. A nulla autem re facilius, quam a munditie neglecta, oriuntur debilitas et proclivitas ad putredinem; immo contagio ipsa, ut febres funestissimae apud carceres orientes, multosque mortales rapientes, testantur. Namque sordes circa corpus accumulari et colligi permissae poros occludunt, et perspirationem, quae salutis humanae in primis necessaria est, impediunt. Quae alvus aegrotantis excernit, ea confestim tolli debent; nihil enim potentius, quam effluvia hinc oriunda, vires systemati nervoso subruit, plusve ad contagionem diffundendam confert.

Haecenus de causis, quae debilitatem faciunt, diximus; nunc vero proclivitatem ad putredinem, quae prius fibram animale debilitat, deinde cohaesionem ejus ex toto dissolvit, illustrare conabimur. Hujus autem ad putredinem propensionis debilitas ipsa causa manifestissima est. Eidem quoque,

que, quae hoc in morbo saepe longe progreditur, favent calor, praesertim corporis proprius immodice accumulatus, cibi animales fermentatione putrida vitiiati, perspiratio obstructa. Praeter haec modo posita, contagio ipsa dyfenterica ut proclivitas ad putredinem oriatur haud dubie facit; signa enim, quae corpus ad putredinem vergere manifeste testantur, fomitem corpori applicatum brevi, ut neminem fugit, excipiunt. Si a pestis febrisque carcerum analogia argumenta petere liceat, multa non desunt quae vim hujusmodi contagioni ipsi inesse plane probent.

CAUSA OCCASIONALIS.

Quae signa in historia supra tradita recensuimus, ea demonstrare videntur causam unicam, quae dyfenteriam pro certo movet, esse contagionem. In plagis enim calidioribus,

lidioribus, cum nihil causae est, cur frigus corpori admotum esse suspicemur, dysenteriam veram saepe oriri compertum habemus. Hanc in sententiam, quod haud dubie multum ponderis ei conciliat, concessit illustrissimus Cullenus. Universum vero ratiocinium, hoc enim non diffitendum, quo suffulcitur, tantum negat, et nihil pro certo probat. Praeterea, multi viri, qui summam in medicina sibi famam compararunt, in opinionem ex toto contrariam ivērunt. Igitur, quanquam multi certarunt, adhuc sub iudice lis est, et erit, donec medicorum sagacium, quibus morbum sub omnibus formis, quas sibi induere possit, diversis videre continget, observationes attentae et accuratae in lucem emittentur. Frigus, ut supra posuimus, perspirationem suppressimendo agit, et haud dubie multum potest. Utrum vero perspiratio suppressa dysenteriam veram valeat movere, et utrum frigus igitur causis excitantibus necne debeat annumerari, non parum ambigimus. Rem idcirco, quae tantis tenebris est involuta,

luta, sagacioribus usuque peritioribus redditis excutiendam relinquemus.

CAUSA PROXIMA.

Haec nostri argumenti pars longum per tempus inter medicos disputationes movit, et adhuc obscura manet. Pro causa proxima materiam acrem et putrescentem, in cavo intestinorum comprehensam, Boerhaavius ejusque aemuli, quorum adhuc non pauci sunt, habuerunt, quam acrimonia sua motum peristalticum nimium excitare, hocque dejectiones frequentes facere, putarunt. Hanc acrimoniam autem et ad putredinem proclivitatem, judicio illorum, subesse, testabantur tunica villosa recti erosa, foetorque stercoreis intolerandus.

Causam hujus morbi proximam longe diversam esse, et in constrictione coli partiumque canalis alimentarii superiorum spasmodica

spasmodica consistere, solita sua sagacitate, multisque argumentis demonstrare conatur Cullenus, professor ille illustris et venerandus. Hoc ei persuadent tormina harum partium gravissima, faeces, siquae dejiuntur, colore naturales formamque scybalorum habentes, colon partesque etiam superiores, protinus a morte incisae, praeter naturam constrictae repertae. Stercus tam parvis quantitibus propter constrictionem coli excerni putat, quae rectum tantum evacuari, patitur.

Monroius vero celeberrimus hoc ab inflammatione sola proficisci contendit, et spasmus hoc in exemplo subitare negat, specie quam prae sese ferebant cadavera complurium hoc morbo extinctorum, quae post mortem incidit, et in quibus multas inflammationis gravis notas, nullas vero constrictionis spasmodicae, reperit, inductus. Hoc quoque spasmus non existere probare opinatur, quod experientia antispasmodica hoc in morbo adhibita plerumque nocere demonstrat. Parum denique
luminis

luminis huic argumento in praesentia of-
fundere possumus. In dubio versetur o-
portet, donec tempus diuturnius et experi-
entia ulterior quaenam ex hisce opinionibus
fundamento firmissimo innitatur, mon-
strabunt. Quaecunque vero opinio inva-
luerit, viam medendi hodiernam non ex-
pulsam iri, quamvis multis ex partibus
haud dubie exoletur, probabile.

P R O G N O S I S.

Cum prognosis cujuslibet morbi, quem
curandum suscipit medicus, quantum fa-
mam ejus et existimationem spectat, sum-
mi momenti sit, hanc medicinae partem
quamplurime aestimare debemus.

Quod ad dysenteriam attinet, quando-
cunque debilitas et ad putredinem procli-
vitas magnopere invalescunt, eventus mi-
nus bonus est expectandus; cum, contra,
leves sunt, finem morbi faustum fore licet
C sperare.

sperare. Cholera huic morbo superveniens, ut Cullenus notat, eum non raro depellit. Bilis purae igitur vomitio vel purgatio pro signo bono habenda. Quae signa sequuntur, ea exitum morbi infelicem portendunt, inflammatio nempe gravis, nimio humorum ad intestina cursu stipata; hanc enim non raro subsequitur gangraena; magna humorum ad putredinem proclivitas, quam gangraena potius, quam inflammatio, excipit; quoniam, rebus ita se habentibus, vis nervosa est admodum imminuta, et tonus intestinorum jam amissus. Gangraenam autem accessisse testantur pulsus arteriarum debiles et abnormes, doloris subita remissio, debilitas summa, stercus foetidissimum. Si vires aegrotanti sub initium morbi subito mirum in modum convelluntur, si dysenteria, quae epidemice grassatur, admodum maligna est, pessimus eventus timendus.

Si haec signa memoria rite teneantur, exitus morbi, iudicio nostro, satis certo potest praedici.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Haec opusculi nostri pars longe gravissima est; igitur de ea, quam de reliquis, fusius differemus.

Medicis, et multo magis aegrotantibus ipsis, infaustum est, quod, plerisque in exemplis, auxilium a medicina parum tempestive peti consuevit. Quot morbi enim, sub initium leves, quique medicinae facile paruiſſent, progredi latiusque ſerpere permiſſi, tandem adeo graves evadunt, ut neque vires naturae medicatrices neque medicina eos etiam levare, nedum tollere, poſſit? Quod aſſerimus, id optime illuſtrat morbus, quem exſequimur; emeticum enim, morbo accedente, adhibitum, eum aliquando, ut Zimmermannus tradit, ex toto depellit. Contra, ſi morbum per incuriam inſcitiamve progredi ſinas, eventus peſſimus jure timendus, et aegrotus, ſi e morbo tandem

tandem emerferit, diuturnitate ejus adeo debilitatur, ut febris hectica, eaque longissima, extingui periclitetur. Cum causae morbi praecipuae sint constrictio coli spasmodica, cursusque humorum canalem alimentarium versus factus, illam solvere, huncque imminuere, aliove vertere, medici est pro virili conari. Huic autem consilio accommodantur, 1. Sanguinis detractio et epispastica, quibus stimulus vasis illatus tollitur; 2. Balneum tepidum, fomenta, et emetica, quibus cursus humorum ab intestinis superficiem versus fit; 3. Medicamenta quae alvum movent, et canalem alimentarium rebus acerbis et putrescentibus liberant. Singula vero ex hisce medicamentis seorsim sunt consideranda.

SANGUINIS DETRACTIO.

Cum dysenteria aliis in exemplis per totum morbi decursum diathesi phlogistica, in
aliis

aliis vero ab initio usque proclivitate ad putredinem manifeste stipetur, haec, si aegrotantis saluti consulere velimus, admodum caute et prudenter adhibenda. Si vero animum ad indolem morbi considerandam diligenter adjungamus, hoc remedium multis in exemplis magnopere profuturum esse, non poterimus dubitare. Febre concitatore, pulsibus arteriarum duris et plenis, nullis debilitatis vel ad putredinem proclivitatis signis substantibus, ad missionem sanguinis tuto et cum fructu decurritur. Una adhibeatur detractio, et, si signa inflammationis non decedent, altera forsitan necessaria evadet. Exempla vero rariora, ubi sanguinem saepius quam bis emittere opus est. Contra, si sit, cur a natura dysenteriae, quae epidemice grassetur, febrem brevi putridam evasuram esse debeat concludi, venae ne semel quidem, licet hoc pulsus arteriarum videantur deprecari, secundae. Hae cautela, si memoria, uti debent, teneantur, usum hujus remedii satis evidenter ostendent.

E P I S P A S T I C A.

Ad haec, nisi signa inflammationis aliqua ex parte prius levata sunt, non confugi debet. Licet enim viribus suis antispasmodicis ad constrictionem coli tollendam accommodentur, primus tamen eorum effectus est pulsus arteriarum augere. Noxae igitur, sanguine non prius detracto, forent, Hoc vero facto, et inflammationem evacuatione facienda, et tormina viribus suis antispasmodicis, levare possunt. Quo utrique consilio melius respondeant, quam proxime partem laborantem applicentur.

2. Quo impetus humorum superficiem versus possit fieri, adhibenda sunt

E M E T I C A.

Hanc medicamentorum classem, consilio modo posito, quam maxime accommodari neminem

neminem latere potest. Quam prompta in auxilium cujuslibet spasmi febrilis emetica sint, experientia quotidiana demonstrat; sed modo duplici in dysenteriam possunt, ubi et spasmus febrilem tollunt, et cursum humorum intestina versus factum alio vertunt. Quo optimos suos effectus edant, ad ea sub initium decurri debet; plus enim, ventriculo et intestinis sanis nondumque vitiat, unum, saltem pauca emetica prouderunt, quam, morbo inveterare permisso, magna medicamentorum farrago. Ventriculum purgandi consilio, excitanda vomitio; si vero doses ita administrare et regere possimus, ut alvus quoque moveatur, salutis aegrotantis non parum consulemus. Quo impetus humorum ad cutem fiat, doses quae nauseam movent adhibendae, et ex intervallis idoneis reiterandae, donec sudor universus prorumpat, qui tormina multum plerumque levare solet. Vomitus ipecacuanha movere Zimmermanni aliorumque moris est; ei vero, iudicio nostro, longe praestant ex antimonio praeparata,

rata, praesertim tartarum emeticum, cujus doses multo certius, quam plerorumque aliorum emeticorum, ad effectus quos optamus edendos, accommodari possunt. Huic consilio quoque conveniunt balneum tepidum et fomenta. Haec ad superficiem corporis relaxandam, et ad constrictionem coli imminuendam, plurimum possunt conferre ; nisi vero, morbo incipiente, vel nondum longe provecto, adhibeantur, ut de emeticis supra praecepimus, votis nostris plerumque non respondebunt. Magna debilitate substante, haec remedia, praesertim balneum tepidum, utpote quod toti corpori applicetur, debilitatemque ejus augere possit, nihil auxilii promittunt, immo forsitan nocerent. Si magna debilitas usum ejus non vetat, semicupium tormina graviora saepe levat. Cum pediluvium plerisque in morbis febrilibus somnum aegroti, vigilia diuturniore vexato, comparando, eumque hoc modo reficiendo, comodo non parvo esse reperiatur, nihil ob stare videtur, quo minus ad idem in dysenteria decurratur.

curratur. Praeter remedia supra comprehensa, si diathesis phlogistica subsit, hujus tollendae causa, *purgantia* sunt adhibenda. Haec vasa canalisi alimentarii exhalantia stimulando et emulgendo, faciunt ut magna humoris serosi quantitas effundatur. De his vero proximo sub consilio fusius dicendi occasio nobis subministrabitur. Hoc autem consilium est, 3. Canalem alimentarium per medicamenta idonea rebus acris et putrescentibus liberare. Quae huic respondent, ea sunt emetica, purgantia, et enemata. De primis jam satis fuse diximus; igitur supra posita repetamus non opus est. Si ob varia, velut hernias, &c. emetica noxae esse possint, ad purgantia protinus confugiendum, quae materiam acrem ex intestinis expellunt. Haec enim ibi nimis diu manere permessa, morbum et febrim in typhum mutando, et fermentationem in intestinis putridam movendo, multo pertinaciorum efficit. Cum autem hoc tempore intestina admodum debilia et irritata facilia sint, catharticis omnibus dra-

cis caute abstinendum, et laxantibus lenioribus solis utendum, quae inter agendum multo minus partes laborantes irritant. Hujusmodi sunt decoctum tamarindorum et similia, quae summis laudibus, et judicio nostro, merito effert Zimmermannus. Quod hac in re volumus, id optime praestant sales medii, qui alvum laxant, totum corpus refrigerant, putredini obfistunt. Quaecunque purgantia, operatione sua finita, alvum adstrictam relinquunt, ea vitanda. In his exemplis solis forsitan ad ea tuto potest decurri, ubi aegroti convalescunt, et nihil aliud, quam inflationem ventriculi, et alia quae tonum canalis alimentarii amissum esse ostendunt, queruntur. Hanc ob causam igitur rhabarbarum, morbo nondum inveterato, non adhibendum. Huic opinioni fidem experientia quotidiana magis magisque facit. Zimmermannus quidem pulvere rhei usus est; ipse tamen, multis in locis, tamarindos tartarique cremorem ei, etiam his ipsis adjuncto, longe praestare confitetur. Quinetiam, vitari debent omnia illa cathartica,
ut

ut aloëtica, &c. quae rectum in extremum potissimum agunt, quod haec canalisi alimentarii pars dysenteria laborantibus saepe exulceratur et abraditur. Emetica, ut supra memoravimus, si deorsum tendunt, alvum facile et optime purgant; si vero hoc non praestant, et signa urgere pergunt, actione emetici ad finem perducta, laxantia ipsa adhibenda, et, donec signa decesserint, ex intervallis idoneis reiteranda. Quae acria et putrida intestina comprehendunt, ea et feliciter evacuant et potenter obtundunt diluentia mitissima et demulcentia. Nulla autem ex his gummi Arabico ex aqua tepida soluto palmam praeripere videntur. Decoctum hordeaceum, cui aliquantulum acidi fuit adjunctum, palato gratissimum est, multumque saepe prodest. Serum lactis commune, Zimmermanno teste, saepe cum fructu prospero adhibetur. Idem cremore tartari factum ab auctoribus multum laudatur, et haud dubie non parum auxilii promittit. Ad materiam nocivam ex intestinis expellendam, et ad acrimoniam

niam ejus obtundendam, plurimum conferunt enemata. Haec oleosa et mucilaginosa sint, et ex infuso lini aquave tepida conficiantur. Per usum eorum frequentem rectum ab exulcerationibus probe defenditur. In eam humorum ad putredinem proclivitatem, quae hoc in morbo saepissime invalescit, non parum possunt antiseptica, qualia sunt fructus recentes, acidi, horaei. In hanc sententiam omnes fere medici hodierni discesserunt. Modice tamen sumantur; namque usus eorum, nimius atoniam intestinorum augendo, plurimum nocere periclitatur.

Amara, flores chamomaeli, infusum theae, &c. experientia teste, juvant. Postremum ab Zimmermanno plurimum laudatur. Remedia hoc genus, fermentationem putridam compescendo, tonumque intestinis restituendo, contra morbi gravitatem efficacissima esse reperiuntur. Quorum curae aegroti commissi sunt, ii omnes excretiones alvinas, cum primum fieri potest, tollant. Lintea stragula saepe mutantur. Aër frigidus

gidus et purus ad cubiculum aegri liberaliter adspiret. Vapores enim nocivi, qui a corpore aegroti ejusque dejectionibus oriuntur, non tantum signa ipsius graviora efficiunt, sed omnes, qui ad illum appropinquant, summo contagionis periculo objiciunt. Corticis Peruviani, utpote qui vim antisepticam potentissimam habeat, usus hic indicari videretur. Cum vero vis stimulans ei plane inest, ab eo in dysenteria, si ulla inflammationis signa adsint, caute abstineatur. Solum, si unquam, adhiberi potest, ubi multae magnaeque putredinis notae se ostendunt, aut febris intermittens dysenteriae adjungitur. In exemplo vero posteriore, judicio nostro, signa dysenteriae graviora semper magna ex parte prius depellenda, quam intermittenti mederi conari debemus. Magna debilitate substante, vinum aliquantum auxilii promittere videtur; sed periculum non deest, ne alcohol, quod continet, id remedium anceps, forsitan periculosum reddat. In summa igitur haec duo remedia, modo comprehensa, adeo dubia,

bia, quod ad effectus suos attinet, et incerta sunt, ut, nisi summa debilitas et signa putredinis manifestissima adsint, ad ea nunquam debeat decurri. Ad irritabilitatem, quae a debilitate intestinorum sola proficiscitur, levandam accommodantur *anodyna*. Cautè vero adhibeantur. Si enim ullae inflammationis reliquiae sunt, eas augere opiata periclitantur. Insuper, si materia nociva ex intestinis minus accurate fuerit expulsa, opiata, quae eam in corpore retinebunt, aegroto manifestissime oberunt. In summa igitur usus opiatorum ea diarrhoea, quae nonnunquam, reliquis dysenteriae signis sublati, diu manet, circumscribendus. Hoc tempore adstringentia multum juvabunt, quae, dysenteria subsistente, graviter nocuissent. Absorbentia olim adhibuerunt medici, quae hodie ab omnibus artis Hippocraticae peritis minimi aestimantur, quod nihil aliud omnino quam acorem in canali alimentario invalescentem saturant, qui raro, nisi sine dysenteriae appetente, se ostendit. Quinetiam, nihil notius, quam quod proclivitati

proclivitati ad putredinem favent, alvumque non parum adstringunt. Quas ob causas, absorbentia, ea praesertim quae hoc praestant, vitanda. Infantibus forsitan, qui multo saepius acori, quam adulti, patent, aliquantum magnesiae albae dari potest, quae non tantum absorbet, sed alvum leniter movet. Vires postremo pristinae corpori aegrotantis omni ratione restituantur. Hoc potissimum praestabunt tonica, quam minime stimulantia, exercitatio modica, cortex Peruvianus, et vinum, hoc tempore solo forsitan, sed modice, adhibenda. Quaecunque vero medicamenta stimulant, ea diligenter vitanda, quod effectus eorum in corpore firmando ex toto fugaces, et fere semper periculosi. Cavendum est, ne aegrotus frigori nimio objiciatur, et cursus humorum ad intestina, perspiratione obstructa, rursus fiat.

Hac dissertatione ad finem perducta, tantum restat, ut Professoribus hujusce academiae illustrissimae omnibus, ob multa, quae ab illis acceperim, beneficia, grates persolvam.

vam. Absit ut academiae Glasguensis Professores silentio ingratus praeteream, qui multum curae in me per biennium erudiendo posuerunt. Quos in errores denique hoc in opusculo per inscitiam juvenilem fuerim illapsus, eos, uti spero, lector candidus excusatos habebit.

F I N I S.